

In nomine Domini nostri Hiesu Cristi. Amen. Premilz miseracione divina marchio Moravie monasterio beate Marie Virginis in *Lutomisl* fratribusque Deo famulantibus ibidem in perpetuum.

Cum primo loco regnum Dei querere debeamus, ut bonorum multiplicetur adiectio, sollerter et summopere invigilandum est operibus caritatis, ut pro conparandis spiritualibus in pios usus et iustas causas bona temporalia convertamus.

Universis itaque modernis ac posteris scripti huius apices inspecturis presencium exhibicione clarescat, quoniam ecclesiam sancte Marie in *Lutomisl* beneficio gracie specialis decorandam duximus et augendam, ita videlicet, ut omnia bona eius acquisita et acquirenda, que in terra nostra possidet uel adhuc possessura est, et precipue villa *Pametiz*, ab omnibus serviciis consuetudinariis, novis seu veteribus necnon aliis gravaminibus, quocunque nomine censeantur, sint perpetuo libera et exempta secundum tenorem privilegiorum, que *Veligradensi* ecclesie duximus conferenda. Contulimus eciam eidem ecclesie in *Lutomisl* ius patronatus, quod in ecclesia *Ywanoviz* habebamus, adicientes, ut homines prefati monasterii per omnia thelonea terre nostre sine aliqua solucione transeant liberi et securi.

Ut autem hec pagina nostre concessionis robur obtineat perpetue firmitatis, presens scriptum sigilli nostri munimine decrevimus insigniri testium subscripcione adhibita, quorum sunt nomina subarata: Robertus Olomucensis episcopus, Gerlagus, abbas *Gradisensis*, Wocko burgravius, Szemizlaus camerarius, Ones, Victor, Blud, Bohuzlaus magister venatorum Olomucenses, Dyius filius Petri, Woytech de *Medlow*, Stiborius, Wocko subcamerarius, Zezema subpincerna, Hartlebus subdapifer, Bochko marscalcus, Wilhalmus phisicus, Conradus scriba *Brennensis*, Hiernricus, Vfsezlaus, Helias, sacerdotes, Symon, Mylos diaconi.